

SUMMOS.

IN.

UTROQUE JURE.
HONORES.

FRATRI OPTIMO. DILECTISSIMOQUE.
DOMINO.

AUGUSTO. BENEDICTO
CARPZOVIO. J. U. L.
AB. INLUSTRI. JCTORUM. LIPSIENSIIUM.
ORDINE.

IX. KAL. NOVEMBREIS. A. E. C. clc lxc LXVII.

IN. ACADEMIA. PATRIA.

CONLATOS.

AFFECTUS. PLUSQVAM. FRATERNI.
DECLARANDI.

C.


GRATULATUR.

TROCHÆO. TUMULTUARIO.

M. SAM. BENEDICTUS. CARPZOV.

LIPSIÆ.

LITERIS. JOH. ERICI. HAHNII.



Mitte neniam, atqve læto, Musa, sub-
fili pede.
Tristibus satis querelis, lacrymis sa-
tis piis,
Quæqve sat est dolori, sat datum
mœroribus.

Æolum sonent avenæ, Lydii cessent modi.
Alter hic cingit racemis tempora Autumnus suis,
Et semel coagulavit frigore undas Urniger,
Ut sibi raptos amores mœsta ploravit Themis.
Redditos sed nunc amores læta gaudebit Themis.
Læta nunc erunt canenda, tunc fremenda tristia.
Mitte neniam, atq; læto, Musa, subfili pede.
Tunc abire visa, terras visa tunc relinquere,
Nunc redire Virgo, terras nunc minùs contemnere
Nunc amicior videtur Virgo, nunc horrens minùs.
Cernis, ut justâ bilance libret horas, & dies
Temperet, noctesq; grato misceat fribusculo.
Cernis, ut largâ bilance poma spargat & nuces,
Cana, non acerba gustu poma, non immitia,
Et sororiente vitem plurimam botro gravet,
Ebriumq; purpuranti torcular tendat mero.
Mitte neniam, atq; læto, Musa, subfili pede.
Regna jam Virgo reducet si minùs Saturnia,
At Tonante qvalia olim vidit orbis sub Jove.

Fer-

Ferreum & minata seclum reddet auro proximum,
Pauca priscae pauca fraudis suppetent vestigia,
Quae Thetin tentare remis, quaeque muris addere
Valla, vicinosque cogent parietes distingvere.
Triste proscriptis migrabit cum Sororibus Nefas,
Velque Sarmatas, vel ultra barbaras Thracum plagas
Ibit. Ecce, jam recedit, ecce vasa colligit.
Mitte neniam, atque laeto, Musa, subfili pede.
Ecce jam promittit orbi Diva Coruncanios,
Ecce leges condituros regias Papinios,
Aeliosque Claudiosque Porciosque & Scævolas,
Serviosque, Aquiliosque reddit, & Massurios.
Tanta in uno quae putares mortua esse nomina;
Tanta surrectura cerne in bis duobus nomina.
Nunc Sophi cessabit esse proprium Sempronio
Nomen, & Trebatianae desinet Cascellius
Invidere, & hujus ille desinet peritiae.
Se videbit limo uterque victum utrumque lumine.
Mitte neniam, atque laeto, Musa, subfili pede.
Ipsa mutato tuenda Diva vultu sistitur,
Squalidos perosa pannos, cincta Lauro tempora,
Latius candente laxos cincta Carbaso finus.
Ipsa desertos priori reppetens anno Lares
Jam situm exutos novaque splendidatas gratiam,
Se secutas, quando abibat, se sequentes, dum redit,
Spem, Fidemque caeterumque laeta virtutum chorum
Fulgidum & papaveratis candicantem vestibus,
Mutuisque colligatum nexibus, post se trahit.

Mitte

Mitte neniam, atq; læto, Musa, subfili pede.
 Cernis, ut sublimiori constituta pegmate
 Debitas dispertiatur laureas laboribus.
 Cernis, ut fulgente doctos vertices Symplegade,
 Utq; Sarrano decora cingat ostro pectora.
 Cernis, ut splendescat auro dextra singulis manus,
 Orbe nunc exesse toto ferreos mores jubens,
 Et pari posthac metallo fulgurare secula.
 Circinantem cernis ulnis blanda ferre basia,
 Cernis aspirare honores nunc suis Natis novos.
 Mitte neniam, atq; læto, Musa, subfili pede.
 Maeste, Frater, maeste abollâ, maeste, Frater, infulâ
 Qvam lubens tradit merenti Diva, maeste adorea,
 Et novis affvesce, Divâ sic volente, vocibus.
 Illa ponte de Cathedræ monstrat illinc mortui
 Marmor in celsâ videndum Patruï testudine,
 Et novum prodire flammis gaudet istis alitem:
 Hinc verendi volta cernens (servet ô DEUS diu
 Hunc mihi Tibiq;, Frater, servet omnibus bonis!)
 Patruï, exæquare tanti vastitatem Nominis
 Lætior, velutq; gestas hunc & istum in nomine,
 Sic in ipso ferre mandat hunc & istum pectore.
 Jamq; dudum Diva factam liberat sensim fidem,
 Atq; posthac lætiores imperat Musæ pedes.



X

A. B. 8338

